

Hymn.
2.

H

ymnum di-cámus Dómino, * laudes De- o cum

cánti- co, qui, nos cru-cis pa-tí-bu-lo su-o redémit sán-

gui-ne.

Die decúrso ad vésperum,
quo Christus morti tráditur,
ad cenam venit ímpius,
qui erat Christi próditor.

Iesus futúra núntiat
cenántibus discípulis:
unus ex discumbéntibus,
ipse me traditúrus est.

Iudas, mercátor péssimus,
ósculo petit Dóminum;
ille, ut agnus innocens,
non negat Iudæ ósculum.

Denariórum número
Christus Iudæis tráditur
innocens et innóxius,
quem Iudas tradit ímpius.

Præses Pilátus próclamat:
Nullam culpam invénio;
ablútis aqua mánibus
Christum Iudæis trádedit.

Falláces hómines ípii
latrónem petunt vívere;
Christum accúsant graviter:
Crucifigátur, reus est!

Et Bárrabas dimíttitur,
qui reus mortis fúerat;
vita mundi suspénditur,
per quem resúrgunt mórtui.

Glória Patri Dómino,
glória Unigénito,
una cum sancto Spíritu,
in sempitérna sácula. Amen.